

videt ætas nostra, quæ superiorum ætatum Astrologi, quòd essent euentura, nunquam præuiderunt, nunquam cogitarunt. Si quis prædixisset ignem fore ut non caleret, aquam ut non humectaret, insanire dixissemus. At nos videmus maiora: $\sigma\pi\rho\gamma\eta\nu$ naturæ magis insitam & coherentem, quàm igni calorem, aquæ humorem, odio dilutam euanuisse: frater fratrem, filius patrem, uxor maritum, ad mortem petit: & vice versa ab his parantur illis necis insidia. Non desunt etiam quibus nec ara, nec fides, neq; ulla durant fœdera, ut cum Aristophane loquar. Deniq; eò propendet malum, ut cùm quis ad has animi perturbationes, quæ omnium hominum mentes occuparunt, ad hæc dissidia, ad hanc seuitiam Dei, qua mala nostra & errata maiorum nostrorum punit, quæ sunt præsentia, illa quæ futura esse è cælo prodigiis & ostentis quiuis sapiens & gnarus artis prouidet, addere velit, atque præsentia futuris connectere: vereor ne cum ratione desipere uoluisse sit existimandus. Olim Horatius suæ ætatis mores insectans cecinit:

Delicta maiorum immeritus lues
Romane, donec templa refeceris,
Ædésque labentes Deorum, &
Fœda nigro simulachra fumo.

Et paulo post:

Fœcunda culpæ secula nuptias
Primùm inquinare, & genus, & domos.

Hoc fonte deriuata clades

In patriam populúmque fluxit.

Hæc profectò haud incommodè nostris etiam hisce tempo-

N